

**EPICEDION QUO
ADMODUM
ILLUSTRIS,
GENEROSI AC
MAGNIFICI...**

Johannes Dominikus Hess

EPICEDION

xxiii

Musee Plauca 355-3

QVO ADMO-

DVM ILLVSTRIS, GENE-

ROSI AC MAGNIFICI DOMINI,

DOMINI IOANNIS TRAVTSONII, LIBERI

Baronis in Sprechenstein, Schrouenstein, & Falcken-

stein, Marschalci hæreditarij Comitatus Tyrolis, Sacræ Cæ-

sareæ Maieft: ab intimis Consilijs primarij, Athesini præfecti

Burggrauij Tyrolis, Capitanei Roderti, & in Stainad Gal-

lianum, &c. tristissimum obitum, Fratres Viennenses Ordinis

Minorum regul: obser: innumeris ab eodem beneficijs gratio-

sè affecti, deplorant. Quum ex Bohemia in arcem suam nobi-

lissimam Falcostein Viennæ sepeliendus, cum ma-

ximo piorum omnium luctu esset de-

portatus, scriptum

AVTHORE F. IOANNE DOMINICO

Hess, eiusdem Ordinis sancti Francisci, apud Diuum

Hieronymum Viennæ, Concionatore.

VIENNAE AVSTRIAE APVD LEON-

hardum Formicam, Anno 1590.

355.1.23

QVO ADMO-

DVM ILLVSTRIS, GENE-

NEROSI AC MAGNIFICI DO-

mini Domini IOANNIS TRAVTSONII, Liberi

Baronis in Sprechenstein, Schrouenstein, & Falcken-

stein, Marschalci hæreditarij Comitatus Tyrolis, Sacræ Cæsareæ

Maiest: &c. Consiliarij primarij, Athesini Præfecti Burggrauij Ty-

rolis, Capitanei Roderti, & in Stein ad Gallianum, &c. tris-

stissimum obitum, fratres Viennenses ordinis Mi-

norum regularis obseruantix, innume-

ris ab eodem beneficijs gratiosè

affecti, deple-

ranti.



Rgone TRAVTSONIAE LUXO-

(clarissima gentis

O Heros veteri præstans vir-

tute IOANNES,

Te sic excipimus reducem? sic

(Praga remittit

Fatali impositum feretro? Sicne Austria, sicne

Te Falcostenium spectat? tandemq; Viennam

Funebri referet pompa, includetq; sepulchro?

Spes heu fallaces heu sæpe cadentia retrò

A 2 Vota,

Vlq; adeone homines igitur spes fallere pergit
 Ut sibi nemo aufit quicquam promittere certi?

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter singula luctus.
 Heu mihi quamverè magnū ac memorabile pectus
 Consilijs Cæsar perdit? Germania quantum
 Heu decus amittit? quanto respublica Christi
 Mcesta dolore gemit tali viduata patrono?
 Plangite ad hoc feretrū præsentis quotquot adestis
 Plangite & absentes queis tristis nuncius aures
 Vulnerat, & tantum docet amisisse parentem,
 Plangite, nec pudeat lachrymarum effundere riuos,
 Tali namq; virum luctu est fas plangere, quali
 Ereptum fatis terra in memphitide patrem
 Fleuit IACOBVM gens Israelitica, quali
 Aegyptus nulli vera pietate secundum
 Flanxit IOSEPHVM, fatali lege cadentem,
 Quali & legiferum loca per deserta vagantes
 Hebræi Moisen tumulo fleuere sepultum,
 Illa decent quoq; iusta virum, queis pectore tristi
 Iessæus vates Saulo Ionathæq; peregit
 Inferias, machabæa quibus gens fleuit ademptum
 Mathatidem forti victorem pectore Iudam,
 Has ego censuerim lachrymas, talemq; dolorem

EPICEDION.

Omnibus esse pijs, etenim meminisse necesse est
 Funere nos isto fidum sepelire parentem,
 Quo moriente iacet regno gratissimus Heros.

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter singula luctus.

O mors in tristes nimium propensa dolores
 Non tua tam celsum timuerunt figere pectus

Spicula? non manibus diris tibi lapsa fuerunt?
 Si nescis vir is est quem reges, quemq; potentes

Induperatores, ipsumq; fouebat amore
 Mille ob dona animi, Capitoli immobile saxum,

Si nescis vir is est qui quattuor ecce monarchis
 (Millibus è multis quod vix homini accidit vni)

Præstitit obsequium, nihil atq; reliquit omissum
 Quo minus officio summa cum laude præesset,

Nouerat id CAROLVS Cæsar Sol vnicus Orbis
 Qui sceptrum Oceano, famam qui finijt astris,

FERNANDVS norat pietate ad sidera notus
 Iustitiæ vindex, pacis pater optimus almæ

Tu quoq; FERNANDI MAXÆMILIANE pro-
 Cæsar idem fateare libens, si vita supersit, pago

Hoc quoq; nunc veræ nervus pietatis & æqui
 RVDOLPHVS meminit, qui pectore Cæsare digno

Tutari Imperij præscos conatur honores,

Quatuor

Quatuor Im-
 peratoribus
 inferuuit
 Transioni-
 us.

Quattuor his TRAVTSON magni Rectoribus or-
 Consilij, grauibus curis, animoq; sagaci, (bis,
 Rebus in angustiis ceu sidus amabile fulsit,
 Nimirum placidæ iam ver ætatis agebat
 Formoso sub flore puer, quum MAXIMVS ipsum
 AEMILIVS, tali quondam qui nomine primus
 Cæsar erat, puerum generosum ascriberet aulæ,
 Maxima quum primis spes sese ostenderet annis,
 Hunc fore ceu baculum columenq; immobile regni,
 Spes ea nec certè fuit irrita, namq; virilem
 Ante annos animû TRAVTSON sic gessit, vt ipsi
 Arcanos CAROLVS gauderet credere sensus
 Saxonixq; ducem belli in discrimine captum
 Tradiderit iuueni solertibus vndiq; curis
 Seruandû, quo TRAVTSONIVS se munere verum
 Præstitit Heroem, visforti animoq; probatum,
 Tum verò magis atq; magis spe feruidus aulæ
 Cæsareæ inseruire parat, summisq; Monarchis
 Fidam operam nauare animo, virtutibus inter
 Magnificos aulæ procères florere beatis,
 Ergò velut pulcher flos tempore veris in horto
 Ingenio solers virgo quem lenibus vndis
 Irrigat, apricas paulatim surgit in auras
 Pulchrior, & suauem de se diffundit odorem,

*A Maximi
 liano I. aulæ
 ascriptus,*

*Carolo Cæ-
 sari filio à cõs
 filijs.*

*Saxo bello
 captus
 Trautsonio
 adhuc iuue-
 ni custodi-
 endus tra-
 ditur.*

Sic &

EPICEDION.

Sic & TRAVTSONIVS nitido virtutis odore
 Gratus erat cunctis, ac de se certa futuræ
 Argumenta dabat laudis famæq; perennis,
 Interea CAROLVS moritur, sceptrumq; relinquit
 FERNANDO, is verò perpendens ardua facta
 TRAVTSONII, variumq; decus mentisq; beatas
 Diuitias, famæq; vlllo sine vulnere mores, (olim,
 Nonne, ait, AEMILIVS nobis hunc MAXIMVS
 Hunc etiam nobis genitor super omnia charus
 Promisit talem fore quo mea regna vigerent
 Patrono? ergò meis placet hunc adiungere semper
 Consilij, fidamq; ipsi loquar omnia in aurem
 Mentis operta meæ, nec sit mihi charior alter
 Ni sit TRAVTSONII similis præstantibus ausis,
 Huic Marschallæi tribuam quoq; nomen honoris
 Præficiamq; meæ fatis fœlicibus aulæ,
 Eximiumq; virum casus complectar in omnes,
 Pax pia seu vigeat, seu Mars paret impius arma,
 Dixit, & aulai summos impertit honores
 TRAVTSONIO, & quamuis nil tale petiuerit ille
 Non tamen augusto patriæ inservire parenti
 Abnuat, atq; hilari mandatum fronte capescit.

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter singula luctus.

Hisq;

*Pis co. filia
 rius Ferdi-
 nandi, &
 Marschal-
 eus, summus
 que aule
 præfectus.*

EPICEDION.

XL

Hisq; adeò titulis ille, his & honoribus auctus
 Mira dabat proceres inter consulta vocatos,
 Cæsar vt ipsius semper præclara probarit
 Consilia, ac populis seu bella horrentia bella
 Instarent forsan, seu splendida lumina regni
 Conuentum imperij summis de rebus haberent,
 Hunc sibi TRAVTSONIVM iunxit FERNANDVS
 Consilijs cuius tutò confidere posset, (Achatem
 Alter idem fecit MAXÆMILIANVS idemq;
 RVDOLPHVS fecit, magni nunc arbiter Orbis.

*Singularis
 prudentia
 Trausonij.*

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter singula luctus,
 Ac veluti quondam, scitatum oracula Phœbi
 Si quis erat missus Delphos, ab Apolline quicquid
 Ille reportabat, veteres immobile verum
 Esse, nefasq; nimis magnum dubitare putabant,
 Haud aliter (si falsa licet componere veris)
 TRAVTSONII dictis, verèq; fidelibus omnes
 Consilijs proceres credebant, Cæsar & ipse,
 Et meritò, quis namq; viro confidere nolit
 Qui nunquam fallit? cuius verba omnia menti
 Conueniunt, quæritq; animo bona publica tantum?
 Talem TRAVTSONIVM quis quæso fuisse negabit?
 Hunc nemo arguerit simulata mente locutum

*Simile ab A
 pollinis ora-
 culo.*

*Candidus
 Trausonij
 animus.*

B

Esse

E P I C E D I O N.

Esse aliquid forsitan, fallacem aut forte repertum,
Linguam habuit siquidem quæ puræ conscia menti
Quid ferat utilitas populi, cælare nec astu
Occulto potuit, nec dissimulare malignè.
Hinc quoties grauium tractanda negotia rerum
Inciderent, Cæsar proceresq; vno ore vocabant
T R A V T S O N I V M, nec quicquã actum nisi fidus adesset
T R A V T S O N I V S, nisi & is procerû consulta probaret.

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
Et renouate graues verba inter singula luctus.

Accu T R A V T S O N I V S sese super æthera factis
Erexit, sic & rebus sublimibus aptos

Tres filij
Trausonij.
I. Balthasar

Tres genuit Natos (si ritè audita recordor)

Non patre indignos, quorum qui maximus æuo
B A L T H A S A R, austriacis fulsit ceu lumen in oris
Hunc Maria Hispano regum de sanguine nata

Et tibi juncta thoro, Maxæmiliane, jugali,

Aspiciens exempla sequi patris ardua magni

Magnaq; facta, suæ non infeliciter aulae

Summum inspectorem fecit summumq; magistrû,

Donec eam tellus hispanica, patria tellus

Acciperet reducem, chari post fata mariti,

Pronepotes
videt Trau-
sonius.

Perq; hunc Balthasarum generosæ tertia stirpis

Linea T R A V T S O N I O, visa est, mirabile dictu

Et res

EPICEDION.

XLIII

Et res hoc nostro longè rarissima seculo,
 Alter IOANNES patrij ceu nominis hæres II, Ioannes.
 Sic patriæ virtutis amans, inglorius æuum
 Exegit nunquam, quin imperterritus Heros
 Pro græge, pro patria, pro maiestate sacрати
 Cæsaris, aduersus diuini numinis hostes
 Turcos arma tulit, dans plurima corpora letho;
 Incautè donec pugnans tulit acer in hostes
 Se medios, pulchramq; obijt per vulnera mortem:
 O fors optatis nunquam non inuida rebus
 Quæ rapis audentem iuuenem tot adire labores
 Volueret tot duros vno pro Cæsare casus,
 Quid tibi mentis erat genitor clarissime, Natum
 Cum fortuna tibi inuidit qui dulce senectæ
 Solamen nimium fellæ baculusq; fuisset?
 Sed quem non aufert necis imperiosa potestas?
 Hoc verò magni luctus solamen habebas
 Ipsi quod dederat virtus & gloria laudem.
 PAVLVS at ô SIXTVS viuat, qui pectore patrem III. Paulus
Sixtus.
 Exprimit heroo patrisq; simillimus aulam
 Cæsaream decorat rosa ceu pulcherrima campum,
 Vir bonus & sapiens rebusq; peritus agendis,
 Humanus, facilis, mitis largitor egenis,
 Non inopi turbæ quas dat magnatibus aures

EPICEDION.

Obstruit, at cunctis ad vota precantia promus
 A patrio nunquam discedere pectore nouit,
 Atq; hos TRAVTSONIO lógè charissima coniunx
 Brigita Madruciae non vltima gloria gentis,
 Progenuit Natos, & plures forsitan, eius
 Singula namq; mihi non constant facta, nec illa
 Indagare finit breue tempus & hora canendi,
 Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus

Et renouate graues verba inter singula luctus,
 Nec verò his tantùm patris ostendebat amorem
 Natis, ast etiam generosa mente studebat
 Omnibus esse pater communis & omnibus æquè
 Serui more boni famulantem extendere dextram,
 Augusto quamuis à Cæsare proximus esset
 Regnatorq; aulae summus, velut alter Ioseph
 Quem terræ Aegypti Pharaos præfecerat olim,
 Vix tot, vbi autumnus frigus brumale reducit
 Se volucres tollunt celeri trans æquora lapsu
 Ille quot eximios iuuenes, & sanguine natos
 Nobilium claro monitis instruxit amicis,
 Edocuitq; viam qua deinceps se quoq; possint
 Tollere humo regumq; altas volitare per aulas
 Cum laude, ad fluxos nec tantùm mobile honores
 Ostendebat iter, verùm rectiq; pijq;

*Transfoni-
 ut omnibus
 prodesse co-
 natur.*

Pectoribus

Pectoribus iuuenum simul instillabat amorem,
 Sæpe monens vt iter celsæ virtutis ad arces
 Horrescant nunquam, vincentibus ardua palmæ
 Præmia monstrando meritumq; perenne laboris,
 Hæc monuit specimenq; ex se dedit ipse coruscum
 Integritate graui referens quæ voce monebat.

Nec minus & laudem decus ac prædulce meretur

Ipsi perpetuò fuerit quòd maxima rerum
 Verborumq; fides, quis enim delusus ab ipso?

Iplius aut quisnam promissa reposcere visus?

Namq; erat hæc imis cura ipsi infixæ medullis

Fallere non vllum, cunctis prodesse, lucrari

Officia officijs magnoq; fauore fauorem,

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus

Et renouate graues verba inter singula luctus.

Hic quoq; inexpertum nil, & nil liquit inausum

Vt pacis firmaret opus si forte tumultu

Feruere inciperet cæco feralis Enyo,

Hinc scriptis proceres dictisq; aggressus amicis

Vtile consilium bello dedit vtile paci,

O quoties animos & pectora sæua furentum

Flexanimis mira mulsit dulcedine linguæ,

Bellaq; præcidit primo & repressit in ortu?

Non secus infesto maturè occurrere morbo

*Maxima
 verborū &
 verum fides
 in Transfo-
 mio.*

*Pacis studio
 sistimus
 Transfoni-
 us.*

EPICEDION.

Antè solet medicus, quàm doctas Pœonis artes
 Contemnat firmata lues & nescia pelli,
 Sæpe etiam superos lachrymis in vota vocavit
 Aurea Saturni redeant vt secula, bella
 Ignoret populus, nisi quæ vel picta videntur
 In tabulis, vel quæ libris descripta leguntur:
 Talis erat Numa Pompilius què magna secundum
 Roma habuit regem, talis Cato, talis & olim
 Pomponius magni magnus Ciceronis amicus,
 Tales mille alij, studium quæis nobile pacis
 Perpetuum tribuit decus & memorabile nomen,
 Ergò & FRAVTSONIO sua gloria cõstet, & ipsum
 Laude vehant seri semper viuace nepotes.

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter singula luctus,
 Spargitur interea diuersum fama per orbem
 Esse hunc FRAVTSONIVM qui dexteritate fideq;
 Eximijs factis & mentis acumine raro
 In cõmune bonum studeat res vertere fractas,
 Nec mora, tanta animi virtus molimina tanta
 Arrident paruis mortalibus & magnis Dijs,
 Imò & Turcorum Bassæ (sic nomine dicunt)
 Truxq; Othomanniades furiata mente tyrannus
 Felicem penitus dixerunt Cæsaris aulam

Sospite

*Transonij
 prudentia e-
 tiam Tur-
 cis innoce-
 scit.*

Sospite TRAVTSONIO, cuius sapientia, magni
Ac vis iudicij, turcos quoq; terruit hostes.

Scilicet hæc vis est virtutis & ampla potestas
Semper vt exhibeat se clara in luce videndam
Nec non laudari soleat vel ab hostibus ipsis,
Ergò quæ tua, mors, est ista nefanda tyrannis
Heroa vt tantum transfigas cuspide diro?

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
Et renouate graues verba inter singula luctus,

Quid mores referam niueos quos carpere nunquã
Ipse queat Momus quantumuis omnia carpat?

Dicite vos aulæ proceres fidiq; ministri
Cæsaris, an turpi macularit crimine vitam?

Fama sinistra ipsum num fortè pudore notarit?
Indueritq; ipsi maculam? quis mitior illo

Pauperibus? precibus quis sese ad limina cassis
Obtulit ipsius? viduæ se scire fatentur

Pupilliq; simul, simul & rerum omnium egeni.

Pauperibus cunctis quòd se patrem esse probarit.

Quis verò ignoret quàm strenuus omnibus ille
In tactis patiensq; operum patiensq; laborum

Perpetuò fuerit? nam nunquam pectore segni
Præfuit officio, quin indulgere solebat

Perdus & pernox animo vigilante labori.

*Liberalitas
Traussonij.*

*Summa dili-
gētia Traus-
sonij in ne-
gotijs pera-
gendis.*

Sæpe gendis.

EPICEDION.

Sæpe laboranti vix respirare potestas,
 Sumere vix epulas, somnos vix carpere, membris
 Sæpe dabant nullam facta & facienda quietem,
 Et ne turpe chaos tot agenda negotia forsan
 Turbaret, pulchro viuebat is ordine, namq;
 Tempora certa epulis, & somno tempora certa
 Certa pijs precibus, solito quoq; certa labori
 Sic dabat, à tali vt deflecteret ordine nunquam,
 Ni viuendi aliter foret ipsi forte necessum.
 Et licet innumeris curis comitata senectus
 Adueniens tandem firmum è compage vigorem
 Hauriret, vitæ tamen is quoq; sine sub ipso
 Auelli à curis nequijt quibus ante vacarat,
 Ergò senem (Cæsar patrem quem sæpe vocabat
 Contectòq; loqui capite omnia verba sinebat)
 Viribus exhaustum nec tecto exire valentem
 Impositum sellæ fidi portare ministri
 Ardua debebant procerum ad consulta potentum
 Quis sine TRAVTSONIO fieri quid posse negabât,
 Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter singula luctus,
 Quàm pius in superos fuerit, quàm feruidus æstu
 Flaminiis ætherei sancto manifesta liquet res
 Carmine nec nostro præcone nec indiget vllò,
 Nam

*Pulcherri-
 ma viuendi
 ratio in
 Trautsonio.*

*Ne senex
 quidem à la-
 boribus vacat.*

*Pietas
 Trautsonij.*

Nam senio quamuis fractus multaq; laborum
 Mole fatigatus, cuius simul obrutus esset,
 Non tamen vlla dies abijt pernicious alis
 Qua non ille sacri visens sacra limina templi
 Impleret cœlum precibus, seu frigora Cauri
 Horrida spirarent, coqueret seu Sirius agros,
 Sæpe aliquis magno deuinctus amore parentis,
 O Heros, dixit, dignissime Nestoris æuo
 Siccine diminues vitæ data tempora, Diuûm
 Insistendo adytis tam denso frigore brumæ?
 Parce senectuti nec mortem arcesse seueram:
 Quòd si tantus amor, quòd si tibi tanta cupido
 Aeterno precibus crebris seruire parenti,
 Ecce domi poteris, neq; enim fugit ille penates
 Quærentùm celsis animis cœlestia tantum
 Nam nusquam locus est in quo non ille quiescat
 Nulla ipsum regio cohibet, loca nulla prehensum
 Conclusumq; vsquam, cunctas amplectitur Orbis
 Totius partes, nec te non audiet ille
 Aedibus in proprijs, igitur ne frigoris obsit
 Asperitas, tua vota domi persolue precesq;
 Talibus haud pauci monuerunt vocibus ipsum,
 Ille autem contrà, Christo mea seruiat ætas
 Aedibus in sacris, dum spiritus hos regit artus,
 C Frigora

*Exemplum
 pietatis me-
 morabile.*

EPICEDION.

Frigora nil timeo qui Christo agitante caleſco,
 Mens immota mihi maneat, ſtet corde voluntas
 Imperio ſeruire, Deo committere vitam,
 Rebus adeſſe ſacris ſummū vel ad uſq; ſepulchrum,
 Bruma nec impediēt, nec frigora acuta grauabunt,
 Nec ſenium obſtabit nec cura domeſtica cæptis,
 Dixit, & ecce Deos pia verba habuere ſecundos
 Namq; duo hæc tumultū perfecit ad uſq; ſupremum
 Seruiuit ſummo demifſo corde parenti
 Nec tamen abſq; pijs humana negotia liquit
 Auxilijs, quanquam ſenio iam ſanguis heberet,
 Quid faciant iuuenes auſus cum talia feſſus
 Inualidusq; ætate ſenex lethoq; propinquus?

*Memoria
 Trautſonij
 inſignis.*

Dicite lugubres, mea Carmina, dicite verſus
 Et renouate graues verba inter ſingula luctus,
 Vi remiſcendi Senecam valuiſſe ſtupenda
 Ac Samium vatem legimus Cyrumq; potentem
 Perſarum regem, Charmidem Carneademq;
 Atq; Themiftoclem celebres qui rexit Athenas,
 Par vis TRAUTSONIO, quem quamuis longa ſe-
 Et curæ vigilēs oculorum lumine grato (nec ſus
 Priuarint, intus tamen ille oculatioꝝ Argo
 Lynceus ac totus, quæcunq; peracta fuerunt
 Præteritis annis memori ſub mente tenebat,

Ille

Ille oculis etiam quos ecce videre nequibat
 Voce agnoscebat proprio sermone loquentes
 Quanquam essent ipsi longo non tempore visi.
 Iamq; nouem postquam lustris & quattuor annis
 Marschalci officio, præfecti & munere summi
 Esset in augusta perfunctus Cæsaris aula,
 Paulatim magis atq; magis longæua senectus
 Pertundit vires obit & membra omnia torpor,
 Nec quicquam superest nisi sese affigere sellæ
 Perpetuò caput inclinando ad pectus honestum,
 Non secus ac lasso madefacta papauera collo
 Demittunt capita à multo quâdo imbre grauantur,
 Rem tamen ille animo fert forti & corde virili
 Nec miseræ queritur de debilitate senectæ,
 Donec, cum Christus superis ascribere, & aulæ
 Iungere cælesti magno properaret amore.

*Transfoni-
us Annis
49. Mar-
schalci, &
summi aula
præfecti of-
ficio fun-
ctus.*

*Transfoniij
fortitudo in
decrepata æ-
tate.*

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter lingula luctus,
 Et iam tristis hyems quatiebat frigore terras
 Insolito, ac mensis decimo qui nomen ab imbri
 Accipit, Orbi aderat, morbo quum fractus acerbo
 TRAVTSONIUS lucem sibi sensit a desse supremam,
 Ergò animo hoc agitans vnū præq; omnibus vnū
 Vt vacuus culpa Mundi melioris ad aulam

*Pietas
Transfoniij
morbo in-
grauescere.*

EPICEDION.

Hinc abeat, mystam deuota mente sacratum
 Aduocat, & vitæ commissa piacula ad vnguem
 Exponit, rigidus sibi censor in omnibus actis,
 Mox etiam totum panis sub imagine Christum
 Accipit, exemploque senis Simeonis Olympum
 Pectore concipiens, humili sic voce precatur,
 Nunc dimitte tuus, Deus ô, in pace quiescat
 Tranquilla seruus, mea mens iam namque salutis
 Authorem vidit, vesca sub fruge latentem,
 Quem cunctis populis manifesta in luce parasti
 Ante suam faciem, cælesti vt lumine gentes
 Illustret, rutiletq; suæ noua gloria plebis.
 At quum supremus vitæ vltima tempora vesper
 Ocijus adueheret, nihil ille reliquit omissum
 Quod proauita fides mandat, virtusq; parentum,
 Nam dulci ambrosia dulci iam nectare pastus
 Corporis, ac sancta fusi pro gente cruoris,
 Adijcit extremum sancti simul vnguen oliui
 Mentibus vnde vigor puris, & gratia Cælo
 Aduenit, vt dubio sæuæ in certamine mortis
 Vincantur Sathanæ fraudes vincatur auernus,
 Hæcq; vbi facta, preces iterumq; iterumq; profun-
 Ardeo dissolui Christo & coniungier inquit, (dens
 Spicula nec mortis timeo mortisue dolores,

Firma

*Accipit ex
 tremam vng-
 uem.*

Firma Fides & Amor firmus Spesq; optima mētis
 Non finit exitium me formidare propinquum.
 Tūm verò rursū tendens ad sidera palmas
 Et lachrymas fundēs dedit imo has pectore voces *Precationes*
 Magne pater Diuūm summa indulgentia cuius *Transonij*
 In genus humanum nullo se fine coerces, *ante obitū.*
 O miserere mei famuli miserere precantis,
 Atq; tua pietate meas bonus abluere sordes,
 Quò niue candidior fiam neq; territet hostis
 Egredientem animam, qui sæuam accensus ad iram
 Perfurit in nostram concusso dente ruinam.
 Hūc propelle procul Deus, hincq; ad tartara mitte,
 Et mihi vita, mihi requies sis grata laborum,
 Tuq; parens virgoq; eadem, Reginaq; Mundi
 Stella maris, genitrixq; Dei, porta optima Cœli,
 Solue reum vinclis & cæco lumina profer,
 Et mala pelle procul, summū bona cuncta parētem
 Posce, mihi & matrem te charam ostende, precesq;
 Accipiat per te facilis, pro crimine Mundi
 Qui Natus tulit esse tuus: vosq; alta tenentes
 Cœlituum turmæ, pro me commissa dolente
 Implorate Deum, meq; his absolute vinclis,
 Auxiliumq; mihi precibus demittite cœlo,
 Iamq; animo sum composito, fragilemq; paratus
 C 3 Linqere

EPICEDION.

Linquere sum vitam, vitæ venientis amore,
 Dixit, & ardentem veteri pro more piorum
 Candelam gestans dextra, placidè obdormiuit
 Quum iam bis decimam lucē nonamq; December
 Extulerat Cælo, fulgeret & hora diei

Nona, quid heu miseri quid in his mortalibus oris
 Querimus immortale? rapit mors omnia secum,
 Ac sua quemq; dies manet & meta vltima vitæ,

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verba inter singula luctus,
 Heû qui tùm gemitus quæ tùm lamenta grauisque
 Plangor ijt Cælo? veluti quàm tempore veris
 Incaluere niues, celsis è montibus humor
 Defluit, & præceps valles decurrit in imas,
 Tantas emisit lachrymas pia turba patremque
 Ereptum fati magno sibi credit emendum
 Si precio posset reuocari ad limina vitæ

Ante alios verò PAVLVS quos SIXTVS ab imo
 Corde dabat gemitus? quis eû dolor intus edebat?
 Quis det, ait, genitor charissime, quis mihi tecum
 Aut pro te det posse mori? tu charior ipsa
 Luce mihi nam semper eras, te munere vitæ
 Iam functo quid agam? sine me lin me vltima iam
 Oscula ferre, aliud quum nil mihi deniq; restet, (nunc
 Dixit

*Obijt Traut
 sonius cum
 maximo om
 niu dolore.*

*Pietas Pau-
 li Sixti erga
 parentem.*

Dixit, & exanime heu corpus genitoris adempti
 Atq; manus ambas amplexus & oscula figens
 Ultima, inexhaustos gemitus è pectore fundit,
 Nec luctum ostendunt proceresq; viriq; minorem
 Praga que tota gemit tecto que apparet in omni
 Et pavor & planctus, gemuere parentibus orbi
 Pupilli & viduæ Phæbique potentis alumni
 TRAVTSONIVS semper quos fouit amore paterno.

Dicite lugubres, mea carmina, dicite versus
 Et renouate graues verbi inter singula luctus,
 Gens ò TRAVTSONIDVM cuius prudentia, cuius
 Maxima dexteritas summis in rebus agendis
 Iam per centenam domui trieterida seruit
 Austriacæ, gens ò quæ dextro Numine semper
 Felix, vitales genuisti lucis in auras
 Heroes magnos, lectissima pectora regno
 Seu pax floreret fremerent seu bella cruenta,
 Funde piæ lachrymas, quàm sit tibi causa dolendi
 Namq; tui cecidit capitis diadema IOANNES
 Qui quantû decoris quantum quoq; luminis abs te
 Accepit, tantum tibi dat splendoris & ipse,
 Dum decorat factis genus alto à sanguine clarum
 Virtutesque nouis prisca virtutibus ornat.

300. annis
 gens Traut-
 soniorum do-
 mui Austria
 eæ seruiuit.

Terra tyroliadum varijs generosa metallis

Ac

EPICEDION.

Ac rebus diues vitæ quarum indigēt vsus,
 Burggrauium deplange tuum, deplange fidelem
 Præfectum, tua qui quæsiuit commoda semper,
 Huic tu mater eras quim sit per te æditus Orbi,
 Sed tamen ille tui semper studiosus honoris
 Solliciti partes obijt munusq; parentis. (des

Tuq; Vienna caput terræ Austridos, inclyta se-
 Archiducum, tanti quæ mortua membra sepulchro
 Herois trades, atrato vellere mœstum
 Fac caput obueles, nigramq; ingloria pallam
 Demittas talos lugubri more sub imos,
 Ante tuos oculos etenim facta ardua dictu
 Ac decora alta viri semper versata fuerunt,
 Deniq; (rimari videar ne singula versu)
 Ingemat Imperium, tellus germanica fletus
 Emittat largos, doleat cum paupere diues,
 Ipse etiam Cæsar magni optimus arbiter Orbis,
 Tristitiam mentis vultu tecturus amæno
 Si licuisset, erat, sed scilicet omnia frangit
 Claustra dolor, signis & se manifestat apertis,
 Namq; pius meminit Cæsar, quo pectore, quantis
 Consilijs, summo in cunctarum turbine rerum
 In medijs regni vicibus medijsq; ruinis
 Sæpe laborarit fessis succurrere rebus,

Et du-

Sæpe laborarit fessis succurrere rebus,
 Et dubitemus adhuc tristes emittere fletus
 TRAVTSONII ob mortē? sed fletibus atq; dolori
 Debet inesse modus, quid enim producere luctus
 Incassum prodest? lachrymisnè amissa redibunt?
 Nascimur vt metam cuncti properemus ad istam,
 Nec quisquã eximitur communi à fœdere mortis,
 Pygmalionis opes tibi sint, sint diuitis auri
 Munera, magnanimo sis viribus Hercule maior,
 Aeacidem vincas, vi roboris Hæctora præstes,
 Sit tibi rex Salomon sapienti pectore longè
 Inferior, Macedûm sis rege potentior illo
 Quem pugnantē armis timuit victricibus Orbis,
 Exuperes quotquot vixere prioribus annis
 Quotquot adhuc viuunt, & quotquot deniq; viuēt,
 Nunquid ob id mortem dabitur superare potestas?
 Illa metit genus omne hominû, dat corpora terris
 Omnia, scepra ferens toti communia Mundo,
 Illa rapit magnos rapit illa sine ordine paruos
 Nec metuit reges ipsos, regumue triumphos.
 Iamq; cadit gens vna hominû, iamq; altera rursus
 Nascitur, alteriusque locum subit ordine miro,
 Vita hominis pariter paleas imitatur inanes
 Quæ venti ad flatum subitò iactantur in auras,
 D. Sæpe

EPICEDION.

Sæpe aliquis nimium nimium spe captus inani
 Canitiem longam, longos sibi fingit & annos,
 Sed cadit ante diem, ceu flos qui mane virefcit
 Agricolaë curuo sed mox succifus aratro
 Languescit moriens subitò, perditque decorem,
 Sæpe etiam Natos vix matris ab vbere raptos
 Vna dies aufert, inopino & funere mergit,
 Atq; homo si longi ad metam peruenerit æui
 Octauus decies vix ipsi voluitur annus
 Tàm breuis & fluida est vmbraëque fimillima vita.
 O nimium felix ô terque quaterque beatus
 Qui cælum versans animo sedesque beatas
 Sese vni tradit Christo & sapienter in illum
 Excelsum transfert vitæ mortalis amorem,
 O quantis ille eripitur post fata periclis?
 Quas non ille humiles pellit de pectore curas?
 Spesque inopes, trepidusque metus & gaudia vana?
 Nec satis hoc tantum, quæ gloria quantaq; restant
 Præmia? quæ requies? quanta & q̄ plena voluptas?
 Dicere quis valeat? vastum prius hauserit æquor
 Et numeret stellas aliquis, floresque per arua
 Tempore vernali crescentia, Rector Olympi
 Plura suis etenim præstat cultoribus vltro
 Quàm genus humanum sensu comprehendere possit,
 Eia

Eia iter id propter summo affectemus Olympo
 Magnarum ornati virtutum insignibus aulis
 Atq; fide atq; operum magna integritate bonorū.

Quod superest dulces somnos placidamq; quietē
 TRAVTSONII optamus cineri, & cōmertia Diuū.
 Salue ò TRAVTSONIAE gentis lux magna IOANNES
 Aeternumque vale, nobis vox omnibus vna est.



D a Sequun-

Sequuntur Epigrammata quadam,

IN EIVSDEM
ILLVSTRIS AC GENE-
ROSI VEREQVE INCOMPARA-
bilis Domini, Domini IOANNIS TRAVTSON-
NII, &c. obitum, per eundem fratrem IOAN-
NEM DOMINICVM HESS, Ordinis
minorum regularis obseruan-
tiæ conscripta.

I.

T RAVTSONIVS quamuis animi maturus & æui
Esset, & exhaustus pene vigore suo,
Hunc tamen immatura senē mors funere merfit,
Atque, senem quamuis, abstulit ante diem,
Absidet id propter feretro tristissima Virtus
Et vitæ cassum lumine quærit adhuc,
Quærit adhuc, sed quem quærit, non inuehit, ergò
Turbato tales expedit ore sonos,
Sicne iaces igitur mea spes optata? quid obstat
Quo minus hinc tecum me quoq; fata trahant?
Cha-

Charus eras viuus, cur te post fata relinquam?

Te sine triste mihi est viuere, dulce mori.

Sed quoniam, Christi iussu, me frangere nunquam

Mors valet, ad feretrum viua sedebo tuum,

Perpetuóque tuum nomen venerabor honore

Prætereunti etiam turbæ ea verba feram,

Hic Regni splendor, patriæ & commune leuamen,

TRAVTSONIVS, (requiẽ turba precare) iacet.

II.

PROXIMA Dijs Pietas, & teutona turba sedebant
Turbaque lugubris talia dicta dabat.

Chara Dijs Pietas, homini ô tutissima virtus,

Cur obiit cultor maximus iste tuus?

Ecce Tybris luget, dolet Ister & ingemit Oenus,

Nil loquor, immensus deflet & Oceanus,

Respondit Pietas, tune hunc obiisse fateris

Turba? heu deciperis si hunc obiisse putas;

Non obiit TRAVTSON abiit sed fata per ipsa

Ad loca, quæ mortis conditione vacant.

Illic antiquis Heroibus additus Heros,

Incolit angelici lucida regna chori,

Ergò quis inuideat, venerando hæc gaudia patri?

Dicere quis nolit, magne quiesce parens?

III.

CANDOREM rebus Titan parit ecce quibusdam
 Obscurat quasdam res quoque luce sua.
 Sic quoq; TRAVTSONIVS, regni Sol lucidus ecce
 Morte sua luctum lætitiãque parit,
 Lætitiã superos novus afficit incola cæli
 Totius interea Teutonis ora gemit.

III.

DESINE TRAVTSONIVM, Germania, plangere, nã.
 Nobiscũ is fausto Numine viuit adhuc, (que
 Est PAVLVS SIXTVS nam viua parentis imago
 Atq; per hunc & in hoc viuit in Orbe pater,
 Viuet & Orbe pater dum viuet filius, ergò
 Hac PAVLVM Virtus inçlyta voce monet.
 PAVLÈ tuo quòd SIXTE paras monumenta Parenti
 Debita, præstanti pro pietate facis,
 Namque tui manes ita promeruerè parentis
 Parce tamen lachrymis ora rigarè tuis,
 Magnum quippe patrem rediuium cernimus in te
 Hæres qui patriæ es laudis & officij.

IN TRAUTSONIÆ
gentis insignia.

CUR caper, & cur gallus, equi cur vngula, gentis
 TRAUTSONIÆ clypeū condecorare solent?
 Cornibus intortis effert sese acer in hostem,
 Et pedibus saltat saxa per alta caper,
 Sic gens Trautsonidū magno sæpe impetu in hostes
 Irruit, & victrix clara trophæa tulit,
 Quæsiuitq; decus verum per saxa, per ignes,
 Per montes, fluuios, per mare, perque vias,
 Tempora dinumerat, vigil est, terretque leones
 Gallus, & ad solitum cantibus vrget opus,
 Hæc nisi TRAUTSONIDVM quoq; gens egisset, ho-
 iam nunc nō tanto cognita in Orbe foret. (nōre
 Inq; equitū numero quum gens hæc nota coruscet
 Vngula equi fulget posteriore loco.
 Nil igitur melius nil significantius vnquam
 Quadrarit clypeo, gens generosa, tuo,
 Viue age, gens magnis factis & laude superstes
 Viuaci, hæc Mundi machina donec erit.

Cum licentia Superiorum.

2 355 - 3

99 935492

REVISED

THE NEW YORK

CONSTITUTION

The Constitution of the State of New York is hereby revised and amended as follows: ...

Article I. The Legislative Branch of the Government shall consist of a Senate and an Assembly. ...

Article II. The Executive Branch of the Government shall consist of the Governor, the Lieutenant Governor, and the Judges of the Court of Sessions. ...

Article III. The Judicial Branch of the Government shall consist of the Court of Sessions, the Court of Appeals, and the Justices of the Peace. ...

Article IV. The Officers of the State shall be the Governor, the Lieutenant Governor, the Judges of the Court of Sessions, the Justices of the Peace, and the Clerks of the Court of Sessions. ...

Article V. The Term of Office of the Governor shall be four years. ...

Article VI. The Term of Office of the Lieutenant Governor shall be four years. ...

Article VII. The Term of Office of the Judges of the Court of Sessions shall be ten years. ...

Article VIII. The Term of Office of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article IX. The Term of Office of the Clerks of the Court of Sessions shall be six years. ...

Article X. The Term of Office of the Clerks of the Court of Appeals shall be six years. ...

Article XI. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XII. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XIII. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XIV. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XV. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XVI. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XVII. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XVIII. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XIX. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Article XX. The Term of Office of the Clerks of the Court of the Justices of the Peace shall be six years. ...

Approved by the People of the State of New York

